

394 H Germ:

4244670

Q. D. B. V.

Poeseos Germanicæ Historiam,

PRÆSIDE

M. FLORIANO Glepperbein

Glogaviâ Silesio,
publicè defendet

JOHANNES CHRISTOPHORUS
CHENIUS, Magdeburgensis.

Ad D. 23. Jul. An. 1681.

Hist: litt: gen:

17. 14.



WITTENBERGÆ,
Typis JOHANNIS WILCKII.



Hist. liter.

401,30

17

OT. B. N.

JOHANNES CHRISTOPHORI
 M. FLORIANI
 PRÆSIDII
 HISTORIA
 JOHANNES CHRISTOPHORI
 M. FLORIANI
 PRÆSIDII
 HISTORIA
 JOHANNES CHRISTOPHORI
 M. FLORIANI
 PRÆSIDII
 HISTORIA

Handwritten notes in a cursive script, possibly Latin or German, running vertically down the left side of the page.

A small, dark, rectangular stamp or mark located in the lower-left quadrant of the page.



Ave Negotius.

§. I.



Germanicæ Poëseos historiam condere, rem esse difficilem & laboris plenissimam, neminem fore arbitror, qui negaverit. Sive enim eos, qui de eâ tradere conati sunt, expendamus, sive antiquitatis monumenta contemplemur, deprehendimus sanè, scriptores plerosq; aut nimis recentia & nostræ ætati propinqua tribuere ipsi initia, aut si vel maximè ad antiquiora retrò eunt tempora, vera vel non attingere primordia, vel, si attingunt, ea tamen omni scriptorum classicorum autoritate & sanioribus rationibus destituta enarrare. Ad hæc tanta hic est monumentorum inopia, ut vix patiatur nos ad exactam rerum Germanicarum ultimis temporibus gestarum notitiam pervenire.

§. II. Itaque tota mihi à capite arcessenda res est, quum in veram Poëseos Germanicæ originem inquirere instituo. Antiquam verò eam esse, neque nuper inventam, jam suo ævo judicavit *Tacitus*, cujus utpote gravissimi testis, qui solus ex omnibus rerum Germanicarum Scriptoribus superest, singularem industriam & dexteritatem omnes mirantur eruditi. Hic enim sub initium *libri de Germanorum moribus* tale de Poësi nostrâ tulit testimonium. *Celebrant (Germani) carminibus ANTIQVIS, quod unum apud illos memorie & annalium genus est, Tuisconem Deum & filium Mannum, terrâ genitum, originem gentis conditoresq;.* Atq; in hoc Taciti asserto acquieverunt ferè omnes: nisi quod *Cyriacus Spangenbergius & Johannes*

A

hannes

hannes Aventinus longius progressi Poeseos initia ad ipsam gentis Germanicæ originem referunt, quorum ille in *Opusculo MS Pto von den Meisterfängern* primum Germanici rhythmum usum Bardo cuidam tribuit, eumq; tempore Abrahami vixisse tradit, consentiente Alexandro Sardo *Suppl. ad Polyd. Vergil. l. l. c. 19.* Hic verò, dum *L. I. Annal. Boj.* initia Germanæ Reipublicæ pertractat, ita scribit. *Intelligens atq; considerans ipse Pater Germanorum Sarmatarumq; Tuisco (qui Aschenas est) sine justitia & absq; religionis metu neq; rempublicam coalescere neq; licentiam hominum contineri posse, jura dedit, leges tulit, carminibusq; complexus est, quæ publicè & privatim cantarentur, ne aut oblivio oblitteraret, aut ignorantia excusaret.* Quæ quidem testimonia satis superq; evincerent Poeseos nostræ antiquitatem, modò ipsis sua constet autoritas, cum neuter illorum significaverit, quemnam asserti sui habeat autorem: personarum varietas nos non moveret, ac sufficeret, ipsos in eò consentire, hos fuisse Germanos & primo Gentis nostræ ævò tractasse Poësin.

§. III. Veruntamen cum desint autoritates & monumenta, rationibus expedienda res erit, & demonstrandum, *primò statim post γλωττισούχουσι migrationis tempore Germanis in usu fuisse Poësin.* Quamobrem tria mihi loco fundamenti ponenda sunt argumenta, quorum primum probabit, Lingvæ Germanicæ in Confusione Lingvarum Babelicâ natam originem, alterum ipsius Poeseos ultra diluvium excurrentem antiquitatem, tertium scientiarum & artium ante diluvium cognitarum à Noacho factam propagationem.

§. IV. Quod ad lingvæ Germanicæ antiquitatem attinet, talem quidem non statuo, qualem Johannes Goropius Becanus, qui nimiam forsan ejus veneratione ductus ingenioso commento eam Ebraicæ prætulit, atque sic primigeniam & ante dilu-

dilu-

diluvium usitatam fuisse dicere ausus est, his præcipuè ratio-
 nibus, quòd Ebræa sit simplicior, facilior, copiosior, vocesq;
 Ebrææ ex eâ ortum habeant, refutatus tamen cum ab aliis,
 tum à Viro de lingvis orientalibus meritissimo *D. Pfeiffero*
Crit. S. p. 52. Sed nec accedo ad Lipsii sententiam, qui cum per-
 spiceret, Becani assertum firmo stare talo non posse, in alte-
 rum præcipitium decidens, lingvam nostram Græcâ & Latinâ
 inferiorem cum tempore, tum qualitate existimavit, cui ta-
 men sese *Adrianus Rodornius Scribekiius*, tam in *Originibus*,
quàm Monitorum libris strenuè opposuit. *Vid Schottelius Opere*
de Ling. Germ. L. III. Or. Enc. 3. Alios verò, qui Lingvam Ger-
 manicam ex Græcâ & Latinâ conflata arbitrati sunt, inter
 quos *Joh. Gryphiander* est adductus ab *Harsdorffero Spec. Phil.*
Germ. disq. 4. transeo, & sicut veritati lubens cedo, Ebræam
 cum sanioribus statuens primigeniam & antiquissimam & in
 Paradiso à Protoplastis usurpatam (*vid. Leusdenius Philologo*
Ebr. diff. 17.) ita & veritatem constanter propugno, tantam
 lingvæ nostræ antiquitatem, quanta rationibus & ar-
 gumentis obtineri potest.

§. V. Et sic eam in confusione lingvarum Babelicâ ortam
 esse dico atqve parem cum reliquis cardinalibus lingvis tum
 ortis habere antiquitatem. Probo verò id *primò*, quia lingua
 Germanica nomen suum adhuc apud Ebræos habet ab *Asch-*
kenas Principe familiæ Germanicæ. *Leusden. l. c. diff. 19.* Sicut
 enim ab Ebero dicta est Ebræa, à *Mizrajim* Mizraimica s. *Ægy-*
ptiaca, à *Javan* Ionica, quæ Græca est, ita & Germanicam ab
Aschkenas dici *Aschkenicam*, concluditur. Deinde Sacræ
 literæ testantur *Gen. X. 5.* quòd à Japheti posteris אֲרָם pro-
 vinciæ transmarinæ אֲרָם לְשָׁנָה אֲרָם לְשָׁנָה singulæ secundum peculia-
 rem lingvæ idiotismum divisæ sint בְּאַרְצוֹתָם in certas regio-
 nes. *Vid. Gerbard. in Gen. b. l.* Jam cum & Germania sit ex illis

transmarinis provinciis, necesse est, Germanos etiam habuisse linguam, quâ mentis suæ sensa explicarent. Unde & Philipp. Cluverius *Germ. Ant. I. 4.* ex dicto Genesios loco colligit, in totidem linguas atq; regiones filios nepotesq; Japheti fuisse divisos, quot Moses Virorum capita enumerat. *Tertio:* Si Germani interfuerunt exstructioni propugnaculi Babelici, diversam ab omnibus aliis omninò adepti sunt linguam. Manifestè enim illud sequitur ex ipsius Jehovæ oraculo *Gen. XI. 7.* *Confundamus illorum linguam ne audiat (intelligat) alter alterius linguam,* אִשׁ שְׂפַת רֵעֵהוּ אֲשֶׁר לֹא יִשְׁמְעוּ אִישׁ אִישׁ אֶת קוֹל רֵעֵהוּ. Atqui interfuerunt, quia omnis populus, qui מִקְּדִים ex oriente, nempe ex Armenia, in Occidentem in terram Sinear profectus est, consilium iniit de extruendo propugnaculo & urbe, dicens: *Agite, faciamus nobis nomen,* אֲנִי נְפִיץ אֶתְכֶם אֶתְכֶם אֶתְכֶם *antequam dispergamur in universam terram,* (cujus interpretationis rationem vide apud Noldium *Concord. Part. Ebr. p. 749. ejusq; not. p. 1085.*) Jam verò divisio terrarum à Noacho inter filios suos jam tum erat facta, inq; eo jam tum erant Japhitæ, ut suas sedes versus Occidentem sitas, quæ per sortem illis obtigerant, occupatum irent. Quod nemini dubium est præterquam Harsdorffero *Spec. Phil. Germ. Disq. 3. §. 6.* qui pro suâ sententia expressis verbis Scripturam *S. Gen. X. 2.* pugnare credit, ratus, divinum historicum res gestas eo ordine, quò gestæ essent, conscripsisse; verùm orthodoxa sententia est *Cap. X.* esse prolepsin historicam. *Vid. Gerhard. in Gen. b. l.* Si igitur diversam adepti sunt Germani linguam, quæritur, quænam illa fuerit? Ebræa non sanè, quippe quæ in solâ Eberi familiâ est servata: non Græca, non Latina, non alia quæcunqve, ut cuius lingvarum initia conferenti liquet; ergo illorum peculiaris Germanica.

§. VI. Sed concedat quidem aliquis hæc, quæ dicta sunt, objiciat tamen, Germanos olim aliam habuisse linguam, Celticam

ticam

ticam nempe, ab hac hodiernâ planè diversam; illi respondeo, hodiernam lingvam Germanicam non diversam, sed omninò eandem esse cum priscâ illâ Celtarum, quorum conditor ipse Aschkenas, & probo cum Harsdorffero *l. c. disq. 4. §. 13.* hoc argumento: Si Lingva Germanica possidet 1. Radices. 2. Præfixa & Suffixa. 3. eandem compositorum rationem cum priscâ Todisca vel Celtica, utiq; eadem erit & non diversa. In radicis enim, particularum & compositorum nexu omnium linguarum momenta & principia constituentia consistunt. Antecedens probat cum ipse Harsdorfferus, tum etiam Schottelius *Op. Germ. Or. Enc. 6. & Gramm. Germ. L. II.* quorum rationes huc transferre nimis pròlixum foret, quin potius dubitantes ad eosdem remittimus. Nec obstat, quod multa in lingvâ nostrâ reperiantur, vocabula, quæ vel cum Ebræis, vel Latinis, vel Persicis, vel aliarum gentium vocabulis conveniunt, exinde sanè non sequitur, lingvam nostram ex illis esse conflata, sed tantum in aliquibus cum reliquis convenire. Bene enim notavit Schottelius *l. c. Or. Enc 3.* & Cluverius *Germ. Ant. L. 1. c. 8.* in universali illa linguarum productione non fuisse novam illarum creationem, sed tantum primævæ in varia idiomata, variasq; dialectos confusionem, quam Besoldus *de nat. pop. c. 14.* nihil aliud fuisse colligit, quam literarum radicalium inversionem, transpositionem, literævæ radicalis additionem aut ablationem, vocaliumq; immutationem. Quid igitur mirum si diversissimæ, longeq; inter se remotissimæ per universum terræ orbem gentes multa etiamnum habeant communia rerum vocabula, inquit Cluverius *l. c.* Et sic sufficienter patet, Lingvam Germanicam Confusioni Babelicæ suam debere originem.

§ VII. Alt erum assertionis nostræ fundamentum est ipsius Poëseos antiquitas, quam tamen nō metimur ex naturali
lin-

lingvæ alicujus ad Poësin habilitate ac aptitudine , verùm ex tempore, quando nimirum ab hominibus ars hæc conficiendi poemata inventa fuerit, Græci quidem, qui gloriæ aucupio apud omnes celebrantur , uti omnium disciplinarum & artium originem suæ genti adscribunt , ita & hac parte omnes gloriosorum vel invidorum partes implere. Hi primò in eo consentiunt, à se inventam esse Poësin, sed quo auctore nominatim cœpta sit, nō potuerunt inter se convenire. Multi ex iis quidem ante bellum Trojanum inventam esse affirmant, sed dubiâ sententiâ, aliis ad Apollinem referentibus, aliis ad oraculum Delphicum, aliis ad Osiridem, aliis ad Bacchum, quoniam oracula dedisset ante Apollinem. *Vid. Job. Ant. Viperanus de Poëtica l. 2.* Veruntamen quàm fallant & fallantur, cuius in aprico est. Primò enim fabulas fabulis opponimus, & producimus Zoroastren Magum , de quo Eudoxus Græcorum Philosophus retulit, quòd sex millibus annis ante Platonis mortem vixerit, centiesq; millia versuum scripserit. Ex quo certè sequitur, hunc omnibus illis supra memoratis priorem esse, cum ejus ætas ante, illorum verò post mundum conditum incidat. Jam Zoroastren natione Græcum fuisse, nemo unquam asseruit. *Vid. Ursini tr. de Zoroastre.* Et licet deinde Græcorum sententiæ aliquid veritatis tribui queat, si fabularum ortum respiciamus , *de quo Cluverius Germ. Ant. l. 25. agit,* non tamen eo ipso adepti sunt victoriam , sed potiùs contra ipsos tela ab ipsis desumimus. Prodidit *Edmundus Dickinsonus in Delphis Phœnicigantibus* apud Græcos sacrorum & Deorum rationem, uti semper Cacodæmon Dei simia est, antiquitatem redolere Ebraicam, atq; sic Apollinem ipsum esse Josuam, qui Typhona serpentem i. e. Ogum, Regem Basanitarum, hominem impium (ita enim Scripturam S. frequenter solere ait impios & populi DEI hostes draconum serpentumq; nominibus infamare) interfecit, Bacchum verò, qui

&

& Dionysius ipsis dicatur, nullum alium esse, quàm ipsum DEUM Opt. max. ex polyonymis aliarum gentium exponit. Quamquam magis historiae mythicae congruum esse videatur, si per Apollinem intelligamus DEUM, qui per diluvium perdidit mundum (id enim vocabulum Graecum indigitat) per Bacchum verò Noachum, eò quod tum utriq; ferè idem nomen sit (nominum verò variam variis in lingvis esse mutationem, vel sola lingua Gallica argumento nobis esse potest) tum vini & potentiorum inventio Baccho à paganis tribuatur, Noachus verò in sacris literis primus vineta post diluvium coluisse memoretur. Quod Osiridem verò attinet, ipsis Graecis incertus est, aliis Apollo, aliis Bacchus dictus, ipsum tamen esse Mizraimum Noachi ex Chamo nepotem, *Reinesius in Punicis* memoriae prodidit. Præterea oraculum Delphicum longè post Noachi tempora esse institutum, idem Dickinsonus colligit ex eo, quòd post Dodonæum oraculum, quod, Herodoto auctore, omnium inter Græca antiquissimum est, demum coeperit, hoc verò ut & alia Græcorum oracula ex sanctis Patriarcharum Javan & Dodanim posterorum scholis, qua temporum tractu in ejusmodi inferorum delubra degenerarunt, enatum sit.

§. VIII. Atq; sic ex ipsis Græcorum fabulis sufficienter colligere licet, Poeseos primam usurpationem non Graecis, sed Ebraeis potiùs tribuendam esse. Accedit, quod Poësis maximam cum Musicà habeat convenientiam, adeoq; certum sit, eam aut ante Musicam, aut cum eà, aut non longè post eam extitisse. Difertè enim Polyd. Vergilius *l. 14. de Invent. rer.* scribit: *Tria genera sunt, ex quibus Musica constat, unum genus est, quod instrumentis agitur, alterum, quod fingit carmina, ex quo ut Poësis pars sit Musices necesse est, tertium, quod instrumentorum opus carmenq; dijudicat.* Musicam verò jam ante diluvium ex cultam fuisse, argumento est, quod Jubal eam fidibus & tibiis canen-

canen.

canendam tradiderit, *Gen. IV. 21.* Ex quo etiam porrò sequitur, Musicam vocalem, uti vocatur, ante Jubalem in Ecclesià usitatam fuisse, & sic etiam Poesin, quæ antiquissimis illis temporibus sola cantui erat accommodata. *Vid. laudati D. Pfeifferi Diff. de Poësi Ebr.* Tandem, si fabulæ Græcorum de Zoroastre veri aliquid inest, & Philippi Cluverii de Zoroastre explicationi fides habenda, sanè ipsum Adamum, qui ipsi Zoroastres est, primum Poetarum omnium extitisse, nemini dubium esse potest. Atq; sic certissimum est Poeseos originem atqve inventionem omninò ad Ebræos diluvium antegressos esse referendam, & per consequens non esse novam, verùm longè antiquissimam.

§. IX. Tertium argumentum, artes nempe & scientias ante Cataclysmum notas & per Noachum ad posteros esse propagatas, nemo forsan negabit, Etenim Noachum filiosq; omnium scientiarum prorsus in arcà oblitos esse, quis asserat? Aut fuisse invidios, neq; posteritatem bonis artib; informasse, quis tam absurdum dicat? Prius intentioni divinæ, alterum pietati & integritati Noachicæ, atq; amoris, quò quisq; erga liberos suos tenetur, contrarium est. Certum itaqve est, Noachum, quicquid ipsi notum fuit atq; cognitum, posteritati tradidisse, & sic etiam Poesin. Et si vel maximè quædam artes non essent translatae, de Poesi tamen id non dixerim, si illi præcipuum usum, temporumq; illorum statum accuratius consideremus. Non dicam hoc loco, ignotam fuisse temporibus illis scribendi rationem, *cujus rei controversiam - videre licet apud Wasmuthum in Vindic. P. I. Cap. 1. Sect. 2. th. 1.* Id enim ad confirmandam meam sententiam multum faceret; verùm hoc saltem innuo, Poesin tum temporis rebus sacris potissimum fuisse adhibitam, atq; in eo consentientem habeo *Harsdorfferum*, in scriptis suis passim id inculcantem. Jam notum est,

est,

est, & concedunt omnes Theologi, quòd res sacræ & vera de DEO doctrina vivâ saltem voce fuerit propagata, usq; dum ipse Deus, scribendi initium faciendo, per scripturas propagationem commendaret. Notum etiam est, memoriam hominum esse labilem, atq; adeò subinde adhibenda esse subsidia; sed quòd præter Poësin commodius memoriam juvandi medium? Poëseos ingens utilitas est, ait *Ant. Possevinus Lib. XVII. c. 7. Biblioth. sel.* atq; ad res ediscendas commoditas. Certè ipse carminum flexus & numerus, ut animum allicit, sic memoriæ hæret, variaq; jucunditate mentem permulcens facit, ne penè unquam ea, quæ rectè percipit, obliviscatur. Consentiant alii, inq; iis præcipuè *Olaus Wormius App. Lit. Run.* cujus judiciò magis animum ac mentem percellunt, quæ harmonico sonò auribus instillantur, quàm quæ mutis notis se oculis ingerunt, unde faciliùs percipiantur, & firmiùs retineantur. Plura hòc locò adduci possent, verùm in re satis clarâ hìc acquiesco, persuasus, quemlibet ex his, quæ dicta sunt, certò posse colligere, ab Ebræis ad Germanos dimanasse, & pro subsidio memoriæ atq; annalium locò usurpatam fuisse Poësin.

§. X. Sed quærat quis, qualis illa Germanorum Poësis fuerit? De hoc quidem nihil certi affirmari potest, cum nulla temporibus istis composita nobis supersint carmina. Si tamen dicendum aliquid est, rhythmicam fuisse eam, tutissima est opinio. Ea enim omnium, quotquot nobis Veterum monumenta monstrant, carminum seculis factorum forma atq; modus est, neq; ullum diversitatis reperire licet vestigium. Sed nec exasciata statim primo illo seculo Poësis nostra fuit, verùm velut ceteræ artes, quas peperit notatio naturæ & animadversio primùm horridæ, deinde longò temporis spatiò à summis ingeniis perpolitæ sunt (nihil enim unquam simul inventum est atq; perfectum) sic Poësis Germanica principiò ru-

B

dis,

dis, nullas observans leges metricas, tandem ratione & observatione prudentissimorum hominum exculta & absoluta fuit, uti ex subsequentibus patebit. Quod verò *rhythmus* attinet, eum *Harsdorfferus Dialog. P.V. p. 32. cum Estienne Paquier* citato ipsi in *Spec. Phil. Germ. Disq. 9.* existimat, ex oratorum clausulis in oratione defluxisse, cum rhythmus nihil aliud sint, quam ὁμοιοτέλευτα, sive similiter desinentia. *Bartbius* rhythmorum primum affectatorem jactat *Anacreontem l. 31. Advers. c. 7.* Sed unde Græci & Latini alias artes primitus hausere, quàm ab Ebræis & Celtis? Rectius *Schottelius L. IV. Op. de L. G. c. 24.* primam rhythmorum usurpationem Germanis tribuit, dum ait, id omne, quod in omnibus aliis Europæorum lingvis rhythmus sapit, à lingua Germanica, tanquam à fonte promanare. Condita nimirum fuisse ab omni Celticâ antiquitate metra illa homœotelevta, i. e. rhythmos, nullâ tamen habita ratione Prosodix. *Plura de inventione rhythmorum legere licet apud Duretum, Olavum Wormium & reliquos, quos l. c. adduxit Schottelius.* Et hæc sunt prima Poeseos nostræ initia.

§. XI. Progressu temporis & ipsa crevit Poësis Germanica. Sed ut ejus progressus rectè percipiatur, duæ ipsi constituuntur Epochæ, altera Ethnicismi, altera verò Christianismi. Quando Ethnicismus apud Germanos cœperit, an jam tum ante dispersionem gentium idola coluerint, an vero occupatâ terrâ Celticâ primum vero DEO cultum exhibuerint, sed mox defecerint, explicari nequit. Certum tamen est, eos nunquam à cultu aliquo divino fuisse alienos. Itaq; acceptam à Patribus Poësin cum ipso divino cultu ad posteros transmisisse, verosimile est. Neq; etiam adeò barbari fuerunt, prout quidem accusantur à multis, verùm sapientissimi, perindeq; ac Græci & Romani, & alii populi suos habere sacerdotes, qui rebus divinis præessent, & juventutem bonis literis & moribus informarent.

rent. Et quoniam nulla hujus rei extant monumenta, nam bis mille annorum historiam gentis nostrae ignoramus, tamen illud evincit maxime tum *Bardovici*, antiquissimae & ipsa Roma ex mente aliquorum antiquioris Urbis Saxonicae, *cujus historiam nobis dedit Henricus Meibomius*, nomen, quod sine dubio à Bardis Germanorum Poetis ipsi fuit inditum, tum etiam varia Graecorum & Latinorum testimonia. Ita enim *Diodorus*, qui circa Augusti Caesaris tempora vixit, de Germanorum Poetis scribit: *Ἐισὶ ἡ παρ' αὐτοῖς καὶ ποιηταὶ μελῶν, ἃς Βάρδοι ὀνομάζουσιν. ἔτοι ἡ μετὰ ὀργάνων ταῖς λύραις ὁμοίων ἄδοντες, ἃς ὑμνοῖσιν, ἃς ἡ βλασφημῶσι. i. e. Sunt etiam apud eos (sc. Celtas) carminum Poetae, quos Bardos vocant. Hi ad instrumenta lyris non dissimilia, aliorum laudes, aliorum vituperationes decantant. Sic & Strabo L. IV. Παρ' ἅπασιν δ' ὡς ἐπίπαν τρία Φῦλα τῶν Ἰμωμένων διαφερόντως ἐστὶ. Βάρδοι τε, καὶ Οὐάται, καὶ Δρυῖδες. Βάρδοι μὲν ὁμνήσασιν καὶ ποιήσασιν, Οὐάται δὲ πρὸς τῆ φυσιογνωσία καὶ τῆν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκήσασιν. i. e. Apud universos tria ferè hominum genera in singulari habentur honore, Bardi, Vates ac Druidae. Bardi hymnos canunt, carmina quoque conficiunt. Vates sacra curant, naturam quoque rerum explicant, Druidae praeter naturalium scientiam etiam de moribus disputant. Et *Aelianus Lib. XII. cap. 23. Historiae variae*: *Ἀνθρώπων ἕγω ἀκρόω φιλοκλιδυοτάτους εἶναι ἴδης κελίης. Τῶν ἀσμάτων δὲν ὑποθέσεις ποιῆσαι ἴδης ἀνθρώπων ἴδης ἀποθανένθας ἐν ἴῳ πολέμῳ καλῶς. Καὶ μάχουσαι ἡ ἔστι φωνομέοι. i. e. Omnium hominum ad subeunda pericula promptissimos esse Celtas audio. Proinde in honorem eorum, qui in praелиis fortiter occubuerunt, cantiones componunt, & coronati pugnas ineunt. Taciti verba quidem jam supra adducta sunt, placet tamen ea hic repetere. Celebrant, inquit, carminibus antiquis, quod unum apud illos memoriae & annalium genus est, Tuisconem Deum. Marcellinus verò ita scripsit: *Bardi fortia virorum illustrium facta heroicis composita versibus, cum dulcibus lyrae modulis cantantur. Vates verò scrutantes summa & sublimia naturae pandere conabantur. Inter hos Druidae ingenii celsiores, ut auctoritas Pythagorae decrevit, sodalitiis adstricti & consortiis quaestionibus occultarum rerum altarumque erecti sunt. Equibus sanè disertis testimoniis clarum est, Germanos fuisse Poeseos studiosissimos,***

§. XII. Et quamquam adducti auctores solis Bardis carminum compositionem tribuant, tamen etiam Vates & Druidas ad conciliandam rebus suis gratiam, & memoriam juvandam Poësin adhibuisse, veritati non est incongruum. Præterquam enim, quòd *Jul. Cesar Lib. VI. Comm. Belli Gall. & Cicero I. de Divin.* omnes conjunctim Druidarum comprehendunt nomine, argumentum facit *Metasthenis in libello de Jud. temp.* traditio, olim penes sacerdotes solos publicam fuisse annalium & regiarum successio-
rum fidem. Haussit id fortè ex Romanorum monumentis narrator Annianus Metasthenes, unde est, quòd Cicero scripsit. Erat initio Historia nihil aliud, nisi annalium confectio: cujus rei memoriæq; publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium Pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis Pontifex maximus, referebatque in album: nec multò post: iiq; nunc annales maximi nominantur. *de Oratore.* Jam ex allegatis Taciti verbis constat, carmina unicum apud Germanos fuisse annalium genus, & sic sponte sequitur, Vatribus & Druidis Poëseos usum non esse denegandum. Deinde luculentissimum habemus ipsius Cæsaris testimonium, qui dum *Comm. L. V. de Druidarum discipulis* agit, ita pergit: *Magnum numerum versuum ediscere dicuntur; itaq; nonnulli annos vicanos in disciplina permanent, neq; fas esse existimant, ea literis mandare.* Ex quo concludit *Cluverius G. A. L. l. c. 24.* Ergò & ipsi Germanorum sacerdotes ac sapientes omnem suam disciplinam carminibus, sive rhythmis juventuti traderunt, atq; hoc, quemadmodum alia instituta, omnibus pariter gentibus observata more non absurdo nec ineleganti receperunt. Atque hunc ad modum per Bardos, Vates ac Druidas Poësis usq; ad Christianismi in Germaniam propagati tempus progressa est.

§. XIII. Digrediendum hic paululum à via est, & explican-

candum, quomodo Galli, quibus hinc inde apud Scriptores Bardi & Druidæ tribuuntur, cum Germanis conveniant. *Primo* quidem certum est, & ex sacris literis demonstrari potest, in ipsa universali terrarum divisione Aschkenaso ejusq; posteris, provincias, Illyricum, Germaniam, Galliam, Hispaniam & Insulas Britannicas in possessionem obtigisse. *Deinde* profani autores, testantur, apud Græcos communi primùm Hyperboreorum, deinde Celtarum nomine appellatos eos fuisse. *Vid. Strabo, Plutarchus & alii apud Cluv. l. c. c. 1. & 2. Conf. Th. Reinesius Var. lect. lib. 3. p. 306. Tertio*, hos ipsos populos unam eandemq; inter se habuisse linguam, variis tantùm dialectis distinctam, atq; sic unam eandemq; fuisse gentem, colligere est, tum ex ipsis veterum auctorum testimoniis, *Cluv. l. 1. c. 5.* tum ex populorum appellationibus, quæ uno eodemq; modò apud prædictas nationes fuerunt formatæ, tum ex privorum hominum propriis nominibus, quæ eisdem fuere communia, *c. 6.* tum ex oppidorum vicorumq; iisdem vocabulis, *c. 7.* tum ex compluribus rerum variarum vocibus, quibus olim nationes illæ universæ usæ sunt, nunc verò apud Germanos in vulgari sermone durant. *c. 8.* *Quartò* notandum, quòd, licet soli Galli & Germani apud Græcos dicantur Celtæ, tamen id dictis nostris non sit contrarium. Postquam enim Illyriorum & Britannorum nomen antiquis Græciæ mortalibus innotesceret (*verba sunt Cluverii l. 1. c. 2.*) nomen eorum peculiare apud illos in quotidiana appellatione ita evaluit, ut Celtarum vocabulum in ea gente non modò in desuetudinem, sed planè in oblivionem abierit. Hinc tandem nomen Celticum in unis tantùm Gallis atq; Germanis usurpatum fuit, idq; perpetuò posterioribus etiam temporibus, quum jam dudum singulas gentes suis peculiaribus nuncupassent nominibus Γαλαῖα atq; Γερμανία. *Vid. Dio Coccejanus apud Cluv. l. c.* Nec obstat Bodini opinio satis frivola, quæ Gallos solos dictos fuisse Celtas, atq;

non

non à Germanis, sed Græcis ducere originem affirmare ausus est; satisfecit enim ei ex aſſe *Cluverius l. c. c. 3.* Quin id ipſum etiam ex antiqviffimis rerum ſcriptoribus conſtat. Sanè *Diodor. Siculus L. V.* utriusq; nationis, tanquam unius gentis mores ritusq; & cultum deſcribens, uno utitur Γαλατίας vocabulò, nullo hujus, vel illius nationis factò discrimine. Sic & *Strabo* diſertiffimè Gallos Germanis facit conſanguineos ſive cognatos, ita *Lib. IV.* ſcribens: Τῆ φύσει καὶ τοῖς πολυτάσμασιν ἐμφερεῖς εἰσὶν ἕτοι, καὶ συγγενεῖς ἀλλήλοις ὁμορον τὰ οἰκῆσι χώραν διοριζομένην τῷ Ῥήνω ποταμῶ. id eſt, *Naturâ & vitæ iſtitutis hæ gentes ſimiles ſunt & cognatæ inter ſe confinem habitantes regionem, Rhenò flumine diviſam.* Et quid ipſa Gallorum conſeſſione clarius, quâ ſe à Germanis ortos ipſi apud *Julium Cæſarem Comment. Belli Gall.* fatentur? Res ſatis clara eſt. Vid. *Cluv. l. c. c. 2.* Quod verò hodie à Germanis ſint diverſi, peculiarem adepti linguam, id non evertit, olim ipſos fuiſſe cum Germanis eodem: pluriſima adhuc in ipſâ linguâ originis Germanicæ proſtant rudera, prout id ipſum *Wolfgangus Hungerus Vindicatione Lingvæ Germanicæ Annò 1586.* editâ, demonſtravit; in quam rem etiam videri poteſt *Schottelius Or. Encom. VIII.* & apud eum plures citati auctores.

§. XIV. Sed redeo ad iſtitutum. Altera progreſſæ Poæſeos Germanicæ epocha eſt Chriſtianismi. Hoc per terram Celticam illuſcente, ipſi etiam Bardæ, Vates ac Druidæ ſubinde Ethnicismum ejurarunt. Tandem per Carolum M. Saxonibus ad Veritatem Chriſtianam converſis, ritusq; idololatriæ prorfus abolito Poætæ, qui antea ſub Bardorum, Vatum ac Druidarum nomine celebres erant, carmina & cantus ſacros legem divinam, veramq; de Deo & Sacramentis doctrinam inculcantes, aptando iis carminum antiqvorum modos, conati ſunt. Quo pio iſtituto Carolus, iſtaurator religionis & linguæ, commotus, non ſolùm clementiffimè illud approbavit,

verum

verum etiam undiquaq; carmina antiquiorum Poetarum
conquisivit, & tandem ipse etiam ejusmodi tentavit carmina
suo postmodum quotidiano usui destinata. *Vid. Reinerus Rei-*
nec. de dignit. Histor. fol. 52. Heig. p. l. quæst. Saxon. 7. n. 16. Et
sic apud Christianos etiam effloruit Poesis, fautoresq; suos
nacta est summa imperii capita. Imprimis verò Ludovicus,
Caroli filius, regni & Cæsarei tituli hæres, ob insignem erga
religionem ardorem Pius dictus, sacras literas legibus poeticis
in volvi curavit, ut *Flacius in Catalogo testium veritatis* docet.
Hinc etiam ad Monasteria venit, dum Otfridus Weissenbur-
gensis, Monachus Moguntinus, Evangelia diebus dominicis
prælegi solita, rhythmis Germanicis includere ausus est, quan-
quam successu non adeò felici, ut ipse *præfatione Operis sui ad*
Luitbertum fatetur, scribens: *Hujus lingvæ Teutiscæ proprietates*
nec numerum, nec genera me conservare sinebat, numerum plu-
ralem singulari, singularem plurali variavi & tali modo in Bar-
barismum & Soloecismum sæpe coactus incidi. Sed hi lapsus
facile ipsi, utpote cui lingvæ nostræ deerat sufficiens copia &
plenaria cognitio, condonantur, cum in magnis & voluisse fat
sit.

§. XV. Post Ludovici excessum, Filiis de imperio bello decernenti-
bus, factaq; à Slavis Bohemis, Hunnis & Ungaris in Germaniam irru-
ptione, vastatis agris & eversis oppidis pariter bonæ literæ, & Poesis
aliquantum siluerunt, usq; dum extinctâ Caroli familiâ Henricus Dux
Saxoniz, cognomento Auceps, anno salutis 920. fasces Germaniæ ad-
eptus, Hungaros infestos patriæ hostes. ingenti clade superatos, è tota
Germaniâ ejiceret, vicinasq; gentes ab eorum incurfione defenderet,
atq; sic pacatâ Germaniâ tandem placidè vitâ functus regnum Filio
Ottoni relinqueret. Rebus ita constitutis animus Germanæ genti
rediit, & postquam vires resumpsisset, artes & doctrinæ rursus inva-
luerunt. Hinc Poesis etiam more prisco celebrari, iiq; qui carminib;
componendis canendisq; dabant operam, Cantionum Magistri, Ger-
manis *Meister Sânger* / dici cœperunt. Hi vitam seculi moresq; for-
maturi

matu

maturi, varia fuderunt carmina, iisque aliquando detestandam Clericorum arguebant pravitatem, quod indignè ferens Cæsar, eos apud Cæsarem criminis læsæ tam divinæ, quàm humanæ majestatis in comitiis Wormatiensibus anno 961. habitis accusabat, blandis verò à Cæsare, cui luxuria ista perspecta erat maximè, verbis remissus, tertio demum annò causam ad Leonem VIII. Pontificem R. detulit, hærescos notam cantoribus illis affingendo. Papa hæc Cæsari significans, ut animadverteret in eos, petiit, & commonuit, id nisi faceret, fore, ut à communionem Ecclesiæ eos excluderet. Quo factò, Cæsar Cantorum præcipuos, inque iis ab Adversariis nominatos, Ticinum evocavit, & coram Academia Doctoribus stetit, ut rationem dictorum redderent. Postquam igitur deprehensum est, rem aliter, ac proposita erat, se habere, à Legatis Pontificiis, qui carmina modosque eorum maximè mirabantur, criminis absoluti sunt, moniti tantum, abstinere in posterum intempestivis de Clero judiciis, ne iis evulgatis contemptui haberetur. Cæsar verò & testimonium causæ iis à Pontifice impetravit, & ipse rogatus immunitates plurimas concessit, postea in comitiis Moguntiaë denuò confirmavit, sermoque aureo, victoribus imponendo, eos donavit. Quo Cæsaris favore excitati plurimi, posthac Poësi operam navare cœperunt, & ad societatem Cantorum sese applicarunt, è quibus adhuc aliquorum nomina ad nostram usque ætatem pervenere. Seculo enim duodecimo inclaruit Conradus Würzburgensis & Hermannus à Sachsenhausen, Friederico Imperatori optimè noti. Post hos seculo decimo tertio innotuerunt Wolfframus ab Eschenbach, Nobilis Svevus, Waltherus von der Vogelweide / (quem Philippo Cæsari à Consiliis fuisse *Glodastus Replie. pro Imp.* asserit) Reinhardus à Zwechstein, Henricus Schreiberus, Johannes Bitterolff & Henricus ab Effterdingen, quos Landgravius Thuringiaë Hermannus, bonarum literarum & in iis Musices fautor maximus, aluisse memoratur. Maximè verò omnium tempore illo celebris fuit quidam, Klingsohrius nomine, insignis Mathematicus, Medicus & Magus, qui arte magicà adjutus plurimos tum temporis superavit, victus tamen tandem ab Eschenbachio cantatis de Incarnatione & nativitate Salvatoris nostri carminibus. Alios hic lubens prætereo, quandoquidem historiam horum omnium peculiari tractatu Germanico contexit *Cyriacus Spangenbergius*, cui etiam, quæ hæcenus dicta sunt, maximam partem debemus. Conferatur

tur

tur nobilissimus *Dominus ab Hoffmanswaldau b. m. præfatione Carminum suorum*, ubi quædam, è quibus ratio Poëseos tunc usitatae iudicatu facilis est, Cantorum carmina inseruit, simulq; Principes Viros, Principem aliquem Anhaltinum, Fridericum Comitem à Liningen, Henricum Marchionem Misniæ & Henricum V. Vratislaviæ Ducem Poësi studuisse memoriæ prodidit. Temporis successu vilioris tantum sortis homines, ut fidem facit Nobilissimus *Dominus ab Hoffmanswaldau l. c.* Poësin exercuere usq; ad Maximiliani I. Imperatoris ætatem, qui narrante *Beato Rhenano L. 2. c. 5.* patriæ lingvæ studium amplexus magnificis præmiis diplomata prisca & rhythmica carmina congescit, cujus etiam varios adversos casus Poëma eò defuncto demum editum nobis exhibet. Cantorum tamen societates semper viguerunt (etsi alii quoq; ab iis alieni, ut sunt aliqui hæctenus enarrati & superiori seculo D. Lutherus noster secutiq; Theologi ad Poësin applicarent animum) eademq; enumeratis hisce seculis usq; ad nostri initium componendum cai minum ratio fuit. Et hic est sub variis etiam lingvæ mutationibus Poëseos Germanicæ progressus Quo de si quis plura desiderat, adeat *Harsdorfferi P. IV. Gesprächsplele & Spec. Phil. Germ. Disq. 9. item Parænesin Tyrolis Regis Scotorum ad Filium editam à Goldasto*, qui in præfatione à se additâ tale Veterum Poematis tribuit elogium: *Vidimus nonnulla Carmina, quæ cum Evandrinis, ut sic dicam, atq; Salariibus in genere suo quæant componi: quippe par atq; eadem Germanis, quæ Romanis quondam nitidanda lingvæ studium Quod qui nuperum ac procuratorum calumniantur, injurii sunt in diligentissimos nostros majores. Longiora pono ad compendium, quinq; proxima secula vide, in quibus triplex, more Romano, aulicorum exercitium, equestre, gymnicum, musicum. In isto sermonis atq; ingenii cura, quæ ad Oratoriam atq; Poeticam informabantur. Itaq; Viri Principes ac equestres nonnunquam etiam Imperatores, Reges, certamina instituere poetica in quibus nobili familia virgines offerebant victoriam cantus, non secus atq; in hastiludiis. Contentio de præmiis erat ab Imperatore propositis aut quodam Principum magnate. Rem non dubito fore, qui levem & non satis dignam Principum Virorum personis judicent. Hæc ille.*

¶ XVI. Nunc tangenda quæque esset tertia historiæ nostræ periodus quæ versatur circa Poëseos Germanicæ incrementum, verum cum sufficienter illud nobilissimus *Dominus ab Hoffmanswaldau b. m.*

C

Præf.

Pref. Carm. exposuerit, prolixius hic non agam. Brevissimis tantum dico, *Martinum Opitium*, Boleslaviâ Silesiorum oriundum primum Poësin nostram nobis exhibuisse limatam; nobilissimos verò Viros, *Dominum Grypbium*, *Dominum ab Hoffmanswaldau*, & *Dominum à Lobenstein*, quos Germaniæ Homeros & Virgilios meritò dixeris, *Jurisconsultissimum D. Zieglerum*, qui primus Madrigalium rationem Italos imitatus nos docuit, & *divinum Buchnerum*, Carminis DactylICI autorem, celeberrimum *Harsdorfferum* & plures alios, quorum nomina, pace tamen ipsorum fiat, hic taceo, dedisse excultam atque consummatam. Quæ etiam de carminum generibus, eorumque modò dicenda essent, ea tum ex *Opitii*, tum *Schottelii*, tum Clarissimorum Virorum *Titii* & *Christiani Weisii* præceptis haurienda relinquo. Sic in decus atque gloriam Germaniæ crevit & ultra omnium Gentium Poësin Poësis Germanica excrevit.

Deo Poeseos Autori sit Laus Honor &
Gloria!



2